

- certo unius, vel alterius diei non dubitatur de modico, sicuti, & certum est, quod privatio legati est poena gravis, quæ etiam requirit culpam gravem, ut comensuretur delicto, c. *Felici S. illud autem de pœnis in 6.*, & adduci potest in confirmationem, quod dicit *Rota Romana in decis. Merlini 56.n.6.*, quod per lapsus unius diei ultra terminū prosequendi appellationem, non facit causam desertam, quia tam modica mora negligientiæ non imputatur. Et si dixerint ex adverso, quod hæc modicitas non relevat attenta testatoris dispositione litterali, quæ ex unica omissione P.P. legatarii priventur, attamen irrelevantia bene deducitur primò, quia dispositio testatoris intelligitur de unica omissione culpabili, secundò intelligitur de omissione, quæ celeri satisfactione non sit purgata, ut conformetur *Juri communi*, quantum fieri potest, *Mantica de Conject. ult. vol. lib. 6. tit. 6. num. 8.*, sicuti in hoc casu, quo sequenti die celeri satisfactione fuit purgata, scilicet quantū fuit in P.P. legatariis, qui sequenti die accesserunt ad celebrandum, nisi confratres de facto impedimento obstetissent. *Rebellus de Jus. & Jur. lib. 1. q. 4.*, quæ responsio firmatur ex dictis p. 1. art. An, & quando negligentia sit purgabilis.
- 86 Sequitur autem ex prædictis, quod, si confratres instantes pro devolutione legati, afferant omissionem fuisse culpabilem, cum sint actores, hoc debeant probare, tamquam fundamentum suæ intentionis, alias actore non probante Reus absolvitur l. *Actor C. de prob. c. ex litteris de prob.*, & probatio debet esse concludentissima, quia agunt ad poenam, ut in his terminis dixit *Rota coram Serapin. decis. 1356. num. 1.*, & *decis. 1336. num. 3.*, & *coram Eminentissimo Cerro decis. 622. num. 3.*, & *coram Rondinino in supra allegata Neapolitana hereditatis 26. Iunii 1673.*, & aptè ad nostrum casum *Concio. alleg. Civil. 79. num. 1.*, & seqq.
- 87 Neque obstant rationes dubitandi, quæ facile, & clarè tolluntur ex prædictis, sic ad primum, omissione quidem est certa, sed inculpabilis, at pro omissione inculpabilis non est apposita pœna privationis, & quia fuit celeri satisfactione purgata.
- 88 Quæ pariter enervant secundam, addendo etiam, quod, ut omissione unius noceat Universitati, requiritur, quod ille sit su-

- perior, aut representans Universitatem, secus de singulari privato.
- 89 Ad tertium Jus fuisse quæsum, si omissione fuisse culpabilis, secus si inculpabilis, quia nunquam fuit intentio testatoris privare jure quæsto innocentem, cum esset iniuum, certum est enim quod de Jure Canonico semper admittitur purgatio moræ; Ubi cessat dolus, & culpa, ut arguendo à contractibus ad ultimas voluntates, *Barboſa de locis communibus argumentandi loco 26. num. 3.*, & ad allegata per *Antonell. de tempore legali lib. 4. c. 15. num. 2.*, maximè incontinenti *Menoch. de Arbitrariis lib. 2. casu 7.* idè mora modica temporis non nocet, *decis. Pedemont. 71. num. 45.*, & 50., & seqq., nam ubi dies est certa, & apposita pœna, adhuc incontinenti potest mora purgari ad allegata per *Farinac. Repertorio Judiciali q. 28. sub num. 22.*, & in puncto *Pasqualig. de Sacrific. novæ legis q. 1027. num. 12.*
- 90 Simili responsione tollitur quartum objectum, quod verum sit de omissione culpabili, secus de inculpabili, sicut & quintū quia data omissione sine culpa, non est locus devolutioni.
- 91 Ad sextum. Quidquid sit, utrum Ecclesia contra Ecclesiam habeat beneficium restitutionis in integrum, quæ verius competit, quando Ecclesia agit de damno viando, alia verò de lucro captando, *argum. tex. in l. Verum S. fin.*, & ibi *Bartol. ff. de minor.*, & in *Aub. Quas actiones num. 3. C. de Sacros. Eccl. Bellet. disq. Cleric. p. 1. tit. de clericis debitore S. 2. num. 12., & 14. Surd. de alim. tit. 9. q. 45. num. 19.*, *Cagnol. in l. 23. ff. de reg. Jur.*, & *ad rem, Concio. dicta alleg. 79. num. 37. 38. 41.*
- 92 Attamen Ecclesia Sancti Augustini Civitatis Comacla de qua agimus in præsenti casu, non indiget restitutione in integrū, quia nunquam cecidit à legato, restitutio autem in integrum supponit indigentem cedisse, & amississe præstina Jura, sive privatum, ut ad rem nostram satis aptè notavit, *Pasqualig. de Sacrific. novæ legis q. 1030. num. 1.*
- 93 Ad septimam autem rationem dubitandi, concedimus quidem Patres Augustianos teneri ad celebrationem Missæ, de qua in legato, ex quasi contractu, & teneri implere onus à testatore impositum, sed etiam dicimus, illud non implementum,

- tum, quod contigit in hoc casu, fuisse inculpabile, ac propterea non esse locum pœnae privationis, quæ solum imposta debet dici, ubi de Jure sit locus pœnae, quæ non intrat, ubi non est culpa.
- 94 Ita ad octavum, non negamus, testatorem potuisse apponere pœnae privationis in casu omissionis culpabilis, quia pœna relativa est ad culpam, & si contendetur, quod potuisse apponere privationem in casu inculpabili cum rei suæ potuisse ad libitum legem apponere, sicuti poterat legare ad tempus limitatum, & post illud societatem substituere ex mero suo libertatis arbitrio, tamen etiam hoc dato, dicimus in hoc casu testatorem, neq; ad tempus, neque privationem disposuisse sine causa, & culpa, undè verba testatoris interpretanda sunt juxta Jus commune quantum fieri potest, ita ut etiam in dubio, interpretatione fieri debeat juxta regulas juris scilicet fauorabiliter pro reo, *ad tex. in l. si inter virum, ff. de rebus dubiis, Mantica de tacitis, & ambiguis conventionibus lib. 2. tit. 4. num. 30. Vers. sexto dubitatur.*
- 95 Nona pariter ratio dubitandi enervatur, ex quo licet sola deputatio Sacerdotis non sufficiat ad implementum oneris, sufficit tamen, ut tale non implementum culparet, ac propterea debeat carere pœna.
- 96 Secundum prædicta P.P. Sancti Augustini legatarii reportarunt sententiam favorabilem, nempe non cecidisse à comodo legati, & ab impetis fuerunt absoluti.
- 97 Prosequamur modo articulum de monitione præhabenda ad effectum incurriendi pœnam, quando apposita est dies certa, posuimus enim regulam, quod dies certa interpellat pro homine, & consequenter non est opus præcedere monitionem, quæ regula limitatur, quando dies est apposita gratia multiplicandi obligationem, ut in obligatione annua, & tunc requiritur monitio præcedens, seu interpellatio ad tradita per *Gabrialem tit. de solutionibus concil. 9. nu. 17.*, *Maflin. de Confiscat. q. 22. nu. 67.*, quia adventus diei operatur, ut multiplicetur obligatio, non aut constituit in mora, quia cum simus in odiosis, dum apposito diei certæ operatur unum effectum, non est trahenda ad alienum, ac propterea ad constituendum obligatum in mora requiritur interpellatio.
- 98 Tum etiam recolenda sunt notata in prima parte, quod scilicet etiam in casu quo debitor fit negligens, & morosus sine prædenti interpellatione, tamen ad effectum, ut pœna privationis, etiam ipso Jure impossibile à testatore executioni mandetur, adhuc requiritur interpellatio, nam cum exequitio sit per judicis sententiā demandanda per necessitatem citandus est ille, qui presumitur incurrisse pœnam, ad effectum ut constat *Judicii an aliqua competat excusatio ad tex. in c. cum secundum de bæret. in 6., l. lecta ff. si certum petatur, & facit tex. cap. non est in mora, qui aliqua exceptione potest se tueri de reg. Jur. in 6., Spada Confil. 76. num. 9. lib. 3., Pasqualig. de sacrifici. novæ leg. q. 102. num. 9.*
- 99 Si hæres habet electionem solvendi legatum, vel in re, vel in pecunia, negligat autem diutius, ac differat electionem, & solutionem, in pœna tantè negligentiæ amittit electionem, & potest à Judice cōpelli arbitrio, taxando in quo debeat solvere *Gregor. d. 316. ibiq. Addet.*
- 100 Quod electionis beneficium amittit pariter per negligentiam in casu, l. si quis Titio in fine, & l. cum quidam il 2. ff. de legatis 2., ubi si testator legavit decem Uni ex pluribus eligendo ab hærede, qui negligat, & diutius differat electionem, omnes illi plures admittuntur ad legatum, tenetur enim quam primum potest eligere, ad tradita, per *Paulum de Castro in dicta l. cum quidam n. 7.*, & re integra, idest antequam quisquā ex illis petat, poterit moram purgare, & eligere, & gratificare secundum eundem Albericum.
- 101 Non tamen negligentia hæredis sinentis rem præscribi prejudicaret substituto ad allegata per *Fusar. de Substit. qu. 528. num. 4.*, & 19., quia substitutus non poterat agere vivente hærede instituto, quare intrat reg. in prima parte tradita, quod impeditus non est negligens, neque contra eum poterat currere præscriptio, qui Ignorat sibi Jus competere, ex quo dato impedimento, scilicet & ignorantia, non agens, non dicitur negligens, *Peregrin. de fideicom. artic. 41. n. 16. 17. Vers. Quinta conclusio, Rota decis. 193. num. 19. p. x. recent.*
- Immo Peregrin. supra num. 18. observat, quod in casu quo præscriptio incepta sit in vita Testatoris defuncti, sed negligentia sua hæres passus fuit rem præscribi, vel actiones hereditarias tempore finiri, præscriptio qui-

dem nocet fideicommissario substituto *l. si hæres institutus §. fin. ff. ad Trebell.* & *l. si fundum ff. de fundo dotali*, & per alia ibidem per Peregrin. allegata, *Fusar. de substit. quest. 528. num. 1.*, eo tamen casu tenetur hæres de negligentia fideicommissario substituto *l. mulier §. sed etiam ff. ad Trebell.*, *Fusar. d. q. 528. num. 2.*, & si hæres non esset solvendo, in subfidium daretur fideicommissario regressus adversus prescribentem *l. fin ff. de eo per quem &c.*, ne ex negligentia hæredis fideicommissarius damnum sentiat, *Fusar. ibid. num. 3.*, & idem Peregrin. num. 19., prosequitur dicendo, idè si hæres negligentia sua patiatur res pignoratas, censuarias, & libellarias alienari, quia non solverit, tenetur fideicommissario quanti pluris res vallet, quam ex debito defuncti ad creditorum pervenerit, seu pervenire aportebat, per *tex. ibi allegatum in l. Lucius §. Titia ex aff. ff. ad Trebell.*, nisi dolus, & culpa ab hærede abesset, per ibi, per eundem Peregrin. allegata.

102 Ita pariter hæredem gravatum teneri pro neglectis post Bald., *Alexand.*, & *alios te-*
nuit Fusar. de substitut. quest. 516., ubi qu.
517., quando hæres teneatur de dolo, la-
ta culpa, & levi, ad quem te benignum lectorem remitto ne videar aliena trāscribere, apud quem q. 519. habes, quando hæres privatus sinens negligentia sua bona dis-
cipari, & disperdi teneatur, vel bona ipsa re-
stituere, vel cavere, & ea in tuto ponit &c.

103 Limita si hæres sit bona fidei possessor, & negligat res hereditarias meliores facere, tunc non subiacet querelæ de neglectis *l. si quid possessor §. sicut ff. de petit. hæred.*

*104 Et si hæres gravatus negligat adire hereditatem poterit cogi per fideicommissarium eam adire, ut sunt *tex. in l. quia poterat*, & *in l. nam quod §. si quis compulus ff. ad Trebell.*, & per alia allegata per *Fusar. d. tract. de substit. q. 600.*, ubi ampliationes, & limitationes habentur.*

*105 Pariter negligentia hæredis non vindicatis cedem defuncti actione scilicet injuria-
rum, non prosequendo coram Judice, ope-
ratur, ut hæres privetur commodo hereditatis *l. i. C. de iis*, quibus ut indigni, *l. hære-
dem ff. de iis quibus uti indigni*, quod tamen in foro conscientiae non servari, dixit *Valerius de differentiis utriusque fori*, *Vers. hære-
ditas different. 8. num. 2. 3.**

106 Si hæres negligat defendere testamentum

inoffitiosum, sententia lata non prejudicat legatariis, *l. qui repudiantis in fin. ff. de Inoffit. testam.*

107 Si hæres sit negligens consignare dotem Uxori Mariti defuncti tenetur ad inter usuria dotalia. Cerro decis. 109. num. 3.

*108 Ita pariter, si ex negligentia hæredis pignus pereat, puta vendatur, non legatario, sed hæredi cedit in detrimentum, & legatarius agere poterit contra hæredem negligentem *glos.*, & *Bartol. in l. qui solidum §. fin. ff. de legat. 2.**

*109 Ex occasione tex. in l. cum res legata §. cul-
paff. de leg. 1., ibique *glos. in Vers. diligentia*, queritur, an hæres negligentia teneatur, si res pereat ex sua negligentia, de culpa, non solum lata, & levi, sed etiam levissima, casus esse potest, si testator legavit mihi sti-
cum servum, hæres autem neglexit eum curare infirmum, unde mortuus est, legavit equum, hæres neglexit illum custodire, & periit, aliasque casus figura ad *tex. in l. quid ergo §. si hæres ff. de leg. 1.*, an tunc hæres teneatur ad præmium, & *glos. in dicto §. si hæres*, videtur sentire non teneri de levissima culpa, ex quo legatum non est factum in gratiam hæredis, sed legatarii, licet ibidem aliqui allegentur in contraria senten-
tentiam, *Verum Bartolus, & Baldus in al-
legato §. culpa*, considerant distinguendum, nempe si additio hereditatis facta sit ab hærede potissimum in gratiam sui, quia scilicet major pars bonorum hereditatis cedit hæ-
redi, & tunc dicunt hæredem in prædictis casibus negligentem teneri de levissima cul-
pa, quia contractus audeundi hereditatem, quo obligatur legatario, est gratia sui, si vero aditio facta sit gratia utriusque, ut quando bona æqualiter cedunt legatario, & hæredi, tunc de levi tantum teneri, hoc idem si portio parum excedat in altero eo-
rum; quia modicum plus legatario, vel hæredi adveniens pro nihilo reputatur, ad *tex. in l. si servus legatus §. cum quidem ff. de leg. 1. ibi (siquidem nihil preterea ex testamen-
to capias, dum malum duntaxat in exigendo ex legato, alioquin etiam culpam te mibi pre-
stare debere existimat*, sicut in contractibus bona fidei servatur, ut si quidem utriusque contrahentis comodum versetur etiam culpa, sin unius solius, dolus malus tantummodo presta-
tur, ex quo textu Baldus colligit valere argumen-
tum à contractibus ad ultimas voluntates.*

Nec

Nec opponatur, quod institutio hæredis, & additio hereditatis semper fiat gratia hæ-
redis Universalis; Respondit enim Bartolus, quod tam Institutio, quam aditio cen-
setur facta favore illius principaliter, qui
majorem bonorum partem capit, velex le-
gato, vel ex institutione, illud enim inspi-
citur, quod principaliter agitur, quam sen-
tentiam amplexus est, *Riminaldus Senior*
confilio 122. num. 16. ad finem.

*110 Hinc ad alium casum fit transitus ex ead.
l. cum res legata §. Item si fundus ff. de leg. 1., cui concordat *tex. in l. Quod te ff. de rebus Cred.*, sicutum pet., & in l. nemo §. si postmo-
dum ff. de verb. oblig., Ubi si hæres debeat spetiem, vel legatam, velex debito testa-
toris, & negligat tradere, sed sit morosus,
itaut interim spes pereat, vel fructus ejus fortuito casu omnino contingente sine cul-
pa hæredis, an pereat damno hæredis ne-
gligentis, vel potius legatario, aut creditori, exemplificat, ibi glossa in servo legato,
qui naturali superveniente infirmitate inter-
riit, idem dicas de vino in coela vinaria ser-
vato, quod aëstro calore corruptitur; Vel
moratur hæres Vindimiare, unde grandine
superveniente Uva confringitur; hoc idē
de frumento non collecto suo tempore &c.,
& videretur respondendum hæredem ad ni-
hil teneri, tūm quia cum res non extet, ad
eam non tenetur, neque ad aliam eisdem
spetiei; quia illa numero legata fuit, ut
ponitur in casu, neque ad pretium, quia
res que casu fortuito perit, suo domino pe-
rit; tūm quia in casu de servo qui obiit, &
de Vino, quod corruptum est, eodem mo-
do res perirent apud legatarium, aut Cred-
itorem, in quo concordant Theologi apud
Bonacinan de contract. disp. 3. quest. 1. p. 6.
sub num. 2 t. Vers. dixi excepta culpa, & mora;
Unde cum casus nequeat hæredi Imputari,
videtur pariter, neque damnum hæredi ce-
dere ad *tex. in l. si cum exceptione §. quod si bo-
mo ff. quod metus causa.**

*111 E' contra vero videbatur periculum esse hæredis, ex quo fuit in mora, sive in po-
nam negligentia, ad *tex. in l. cum filius ff. de
Verb. oblig.*, l. nemo, l. quod te ff. sicutum pet
concordat *tex. in l. Item si verberatum §. si ser-
vus ff. de rei vendic.*, & ratio hujus est, quia
si hæres consignasset rem legatam, aut de-
bitam, legatarius, aut Creditor distractis-
set, sive præmium habuisset liberum à*

casu, nec damnum fuisset passus, unde nō
verificatur, quod res eodem modo perirent
apud legatarium, & Creditorem, sicut pe-
riit apud hæredem.

112 Et si dixeris, contingenter se habere,
quod distractisset, poterat enim non distra-
here, & forte non distractisset, neque ma-
gis certum est, quod distractisset, quam non.

*113 Ad hoc respondit Paulus de Castro in d.
l. Cum res num. 9. in fine, quod in pœnam
morosi præsumitur in ejus deteriorem par-
tem, & sic quod legatarius distractisset; mo-
rositas enim absq. culpa non est, *Coccein. decis.*
1330. num. 1.*

*114 Verum huic solutioni videtur obstat *tex.*
fatis apertus in l. si plures §. sive autem ff. de-
positi, ubi absolute dicitur, quod cum res
esset eodem modo peritura apud recipien-
tem naturæ cursu, vel fortuito casu, tunc
morosus non influit in rei periculum, & ad
nihil tenetur.*

*115 Respondit Paulus de Castro loco supra nu-
10., quod *tex. in l. si plures loquitur in actio-
ne personali*, textus autem supra allegati
loquuntur in contractibus, alias distinctio-
nes ex diversorum d.d. sententiis afferit Bar-
tol. in dicta l. quod te num. 10., & in l. nemo rem
suam §. si post moram ff. de Verb. oblig., nempè
in actione personali si debitor teneatur ex
delicto, aut ex furto; tunc indistincte res
perit moroso, & negligenti, at si debitor
sit ex contractu celebrato in gratiam cre-
ditoris, tunc debitor hæres non tenetur,
si vero in gratiam debitoris, & tunc tene-
tur, existimat autem Bartolus, quod mo-
rosus, & fur in hoc æquiparentur, unde
sic ut fur absolute tenetur ad præmium rei
non restitutæ, sed pereuntis apud ipsum,
ita, & debitor ex contractu morosus, quia
morositas, & negligentia est spes delicti.*

*116 Aliter distinguit Paulus de Castro in præ-
citata l. Cum res legata ff. de leg. 1. num. 10.,
nempè si constaret, quod legatarius, aut
Creditor fuisse rem distracturus, tunc ha-
beat locum *tex.*, & præmium per hæredem,
& debitorem deberi, si vero constaret, quod
non esset distracturus, tunc præmium non
deberi, & in hoc sensu intelligit *tex. in l. si
plures §. fin. ff. depositi*; in dubio autem con-
tra morosum præsumitur, & sic ad pretiū
teneri, concordat *Sylvester in Vers. mora nu-
4. in fine*, quæ sententia mihi probatur.*